

❧ ❧ ❧

5

„gionibus perlatae, quas dolenter admodum perlegi, magni utique
„facimus Muratorii eruditionem, ingentesque, quos in augenda re
„litteraria suscepit labores, nos quoque praedicamus, at de eius lucu-
„brationibus, *sacra argumenta* tractantibus, quid sentiendum sit, ii tantum
„ignorant, quibus in more positum est, iurare in verba Magistri.
„Frustra itaque adeo sibi plaussit de Muratorii nomine, atque sententiis
„declamator, quem satis confutasse iam mihi videor, quin opus habue-
„rim, integrum eius libellum recitare. „

Quamnam opinionem de Te apud Germanos excitaueris, quum
Te tanta vehementia *Muratorii*, cuius sempiterna manebit memoria,
merita deprimere viderint, quum Zelum Tuum non satis temperatum
Heterodoxorum omnem nationem tam odioso nomine prouocare audierint,
imo quum ad acerba quaeuis Te abreptum fuisse, perceperint, Ipse
iudices, si temperato calore ad mansuetiorem quietem redieris. Noua
mihi plane, atque inaudita est fabula, tam contemptum virum esse *Mu-
ratorium Vestrum*, et tam paruae existimationis. Alia iudicia legi in
scriptis magnorum virorum, nec ignoro, quid sentiat de ipso cum
Pontifice suo toto Italia. Verum mea non refert, quaecumque demum
fit *Muratorii* auctoritas. Non ille, sed veritas inter nos iudex esto.
Narrant illa ipsa, quae *Muratorius* scripsit, auctores prisca, coaeui, et
fide digni. Hos sequens eadem scripsit *Rothfischerus*, in castris vestris
adhuc militans, et adprobavit auctoris studium Academia Salisburgensis.
Scripsit olim *Morinus*, et alii auctorum plurimi.

Aliam et aequae lubricam viam ad me confutandum iniisti, eruditissi-
me *Quirine*, quum omne argumentorum pondus in *Epistola Pauli III.*
Te inuenisse credas. Hanc enim epistolam, ut ipsius vis frangeretur,
nec statim litteris Paulinis tanta fides haberetur, observationibus meis
illustravi, clypeumque e manibus eripui, quo Te, Tuamque ecclesiam
tegere voluisti. Manet ergo, et manebit inconcussa omnium in libello
DE IUBILAEO, ET INDULGENTIIS PAPALIBVS a me dictorum ve-
ritas, utpote quibus imbecilla et debilis litterarum Paulinarum auctori-
tas tantum potuit opponi, haec vero a me tam facile infringi.

Si quidem robur in contumelia esset, maximum prae se ferret ro-
bur scriptum Tuum, quod tam ignominiosum, et ad existimationem
meam deprimendam idoneum credidit quidam e religionis Tuae in
Germania praesulibus, qui calamum contra me strinxerat, ut ille stu-
dium famae meae prae se ferens, ipsis Tuis verbis, ipsius libro infer-
tis,